

In Buchholtz, A. Geschichte der Buchdruckerei Runt 1700 nicht angeführt 28. I. 1912. A. 5.

EPITHALAMIA

in honorem.

Pietate, eruditâ doctrinâ, & Virtute Eximii Viri,

D. N. ARNOLDI CUPERI,

SCHOLAE RIGENSIS CONRECTORIS

solertissimi, secundum Sponsi;

Pia, pudica, ac Pulchra Virginis,

GERTRUDIS zur Weide/

HONESTI & INTEGERRIMI VIRI, HENRICI zur Weide/ TRIBUNI

Plcb. Minoris Civium Collegii, relictae Filiae,

Sponsae;

Celebrantium Nuptias 7. Id. Septemb. Anno Æræ Christianæ

M. D. C. XXIV.

Amoris, benevolentiaq; ergo dicata à Collegis - Amicis.



Umma petit Livor, cunctas cum præ-
gravet artes:

Livor iners vitium, principiumq;
mali.

O dirum mortalibus exitium atq; ve-
nenum!

Nonne pios semper rodere dente
soles?

Dic mihi, livor, cur torvo tam lumine spectas?

Non mihi, sed tibi, vis ore nocere tuo?

Invidus alterius rebus marcescit opimis,

Tuné mala effugies maxima labe tua?

Quantum externi odii, quantum invidiaq; feramus

Ingratorum hominum, vindicet ipse DEUS.

Hac in parte tibi Momorum nemo nocebit,

Devinces hostes si bonitate tuos:

Clare CUPERE, Decusque scholæ, si sanguine

Gaudia conquirit cœlica vera fides. (Christi

Grata DEO pietas, magno cum pondere virtus

Fercula amicitia si posuere suæ:

Nemo malorum fœcla probat, sed fœcla bonorum,

Invidiaq; loco, sic decora alta dabunt.

O nimium dilecte DEO, te sponsa levavit

Castâ, modesta, pia, & facta corona tibi.

Quæ concors vivit, tacito te semper amore,

Docte CUPERE, auget, semper honore colit.

Ut viva ad feros descendat fama nepotes,

Mille DEO laudes vota; mille feram.

Vere amicitia & benevolentia
ergo congratulatur

M. AGGÆUS FRIDERICI
Scholæ Rector.



Quando novus reparas Aphrodisia Sacra
Maritus,

Sponse, Camenarum fama Novensium,

Non fas Harpocrati me solum sacra litare,

Addere sed votis me quoq; vota decet.

Collega Collegæ suo, vir amicus amico

In voces hodie sperneret ire bonas!

Non conaretur Tibi par mea Musa referre;

Dixisti Tadis qui pia vota meis?

Non ea mens nobis; non mos: maclabere rursum

Votis, quæ penitus tota profecta fibris.

Profit Conjugium, felicibus omnia stellis

Procedant, Latius sit procul ille senex.

GERTRUDIS facilis Tibi sese accommodet usq;

Ad Genium & mores apta Marita tuos.

Pascua, quæ Sponsus totâ de mente cupiscis,

Sint, voveo, ad gustum nocte dieq; Tuum.

Pascua quæ poscis sint plena salubribus herbis,

Nonq; magis dulci plena sit Hybla farvo.

Non in te qua ferat, sed in amula pascua sylvis

Thessalia Sponsam Sponsa decora suam.

Martinus Hesperus,

Subconceptor Scholæ.

Dum tædas, ARNOLDE, novas tibi ventilat Hy-
Cordoliumq; recens eluit ortus amor; (men
Carminis applausu vestro inservire decori
Me petis, id quod habes induperare tuo:

Pangere concinnum studio languente Poëma.

Difficile est: Votum carminis esto loco.

Ergo tibi voveo cornu REM dite fluentem;

Lauta est Conjugii RES benè - firmus Atlas.

Sitq; in utroq; Vigor, vegetaq; in corpore vires:

Sit sine tabe domus, sit sine labe torus.

ARS valet in cunctis, scitâ domus arte regatur.:

Arte suo studeat virgo placere viro.

Exultet PIETAS hominum fidissima tutrix,

Quæ vos commendet cunctaq; vestra DEO.

Conjugii quicquid meditetur & ingerat Hostis

Adversi, nisi PAX potiore levet;

Ædibus in vestris hæc si benè - suada recepta est,

Dissidium nusquam est: Rex erit unus AMOR:

Et Zephyri mitem spirabunt jugiter AURAM

Compressis, qui sunt de feritate, notis,

Sic, facili JOVâ, vitæ MORA longa manebit,

Hospitii saturos vos capietq; polus.

Felix Conjugium! quod tam bona multa sequuntur.:

Res, vigor, ars, pietas, pax, amor, aura, mora.

JOHANNES GAMPER,

Rigæ Livonum excudebet NICOLAUS MOLLYNUS, Anno ut supra.

